

SIGILL : COLL : HARVARD : CANTAB : NOV : ANGL : 1650.
CHRISTO ET ECCLESIAE
BOUGHT WITH
THE GIFT OF
WILLIAM GRAY,
OF BOSTON, MASS.
(Class of 1829).
Jan. 1, 1861.

Zu

den öffentlichen Prüfungen

der Schüler

des Königlichen Gymnasiums zu Cleve,

am 28. und 29. August 1845,

ladet im Namen des Lehrerkollegiums hochachtungsvoll und ergebenst ein

der Direktor des Gymnasiums

Dr. Ferdinand Helmke.

Inhalt:

1) De M. Fabii Quintiliani vita. Von Dr. L. Driesen.

2) Schulnachrichten von dem Direktor.

Cleve 1845.

Gedruckt in der Koch'schen Buchdruckerei.

DE

M. FABII QUINTILIANI VITA

SCRIPSIT

L. DRIESEN, Dr.

CLIVIIS,
·HIANIS.

De M. Fabii Quintiliani Vita.

Instituenti mihi M. Fabii Quintiliani institutiones oratorias in patrium sermonem transferre, ut Germanicae eloquentiae, quae una cum amore patriae ac rei publicae invalescit in dies, sub sidia ferrem probatissima, operae pretium visum est, si vitam summi moderatoris Romanae juventutis exponerem antea et illustrarem. Quo consilio non mihi abstinendum judicavi, ubi commentationem inspexeram ab Hummelio scriptam et anno MDCCCXLIII. Gottingae editam, (Programma Gymnasii Gottingensis) qua, etsi auctor magnifice auspicatur, et, quod antiquiores vitae Fabianae scriptores, Nic. Antonius,[1]) Dodwellus,[2]) Baylius,[3]) Fabricius,[4]) Gessnerus,[5]) ipse denique clarissimus librorum Fabianorum editor, Spaldingius, neglexissent, verum animum et indolem Quintiliani se expositurum esse pollicetur, tamen neutiquam hoc praestitisse videtur, ut qui solas res externas, ad vitam Fabianam spectantes, nec hac ipsas quidem satis recte omnes attigerit, de indole vero ac natura summi magistri nihil fere disputaverit.

Missam ego faciam scripturam nominis, quam *Quintilianum* nec vero Quin*c*tilianum fuisse quum vel ideo probabile sit, quod vox descendit a Quintilius et a Quintus, quin*c*tus autem, etsi derivatur a quinque, vel nemo Romanorum nec dixerit unquam nec scripserit, quoniam difficillimum erat ad pronunciandum, tum inscriptionibus lapideis fere omnibus confirmatur:[6]) ad patrem Quintiliani transeo, cujus ipse mentionem fecit (Inst. or. 9. 3. 73.) ubi de eo genere figurarum disputat, quod aut similitudine aliqua vocum, aut paribus aut contrariis, converteret in se aures et excitaret: „Et cur me, inquit, prohibeat pudor uti *domestico* exemplo? *Pater meus* contra eum, qui se legationi *immoriturum* dixerat, deinde vix paucis diebus insumptis, re infecta redierat, *Non exigo, ut immoriaris legationi, immorare.*“ Hac sententiam patris sui videtur Quintilianus petisse ex oratione illis publice habita, atque apparet, patrem Quintiliani rhetorem fuisse non plane obscurum.

1) Bibliotheca Hispana vetus. P. I. p. 237—72.
2) Annales Quintilianei s. Vita Quintiliani per annos disposita. Oxford 1698.
3) Dictionaire historique et critique. s. v. Quintilien.
4) Bibliotheca latina. Ernesti. p. 256.
5) In praefatione editionis suae.
6) cf. Spalding. praefat. p. XXV., qui nonnisi unum lapidem se cognovisse dicit unumque numum qui praeferrent Quin*c*tilianus eosque aetatis Augusteae.

Alia ratio est in nomine gentis Quinctiliae, quae, ut opinor, more patriciorum, ad antiquam originem suam testandam cascam illam scriptionem dedita opera retinuit. At Quintilianus rhetor videtur natus esse loco non admodum illustri.

Jam M. Seneca in libris controversiarum bis memorat Quintilianum, primum in controversia de illo, qui fingebatur debilitasse expositos, ut per *mendicantes eos debilitatos* pecuniam ab aliis emungeret. „Circa hunc, ait (5. 33. p. 382. ed. Bipont.) sensum est ille et a *Quintiliano* dictus: „Nescio, utrumne vos miserabiliores dicam, quod alimenta accipitis an quod huic datis. Accipitis enim, *quod debiles estis*, ei datis, *per quem debiles estis*.“ Quo loco equidem agnoscere mihi videor similitudinem quandam cum sententia a Quintiliano in institutione oratoria p. 3. 73. laudata, studium dico παρονομασίας cujusdam sive annominationis. Quare non dubito, quin Quintilianus ille M. Senecae pater fuerit Fabii nostri, praesertim cum temporum ratio bene congruat. Nam M. Annaeus Seneca scripsit controversiarum libros imperante Tiberio,[1]) ante annum igitur 37. p. Ch. n.; Quintilianus autem noster, ut posthac demonstrabimus, anno 35. p. Chr. natus est.

Alter locus M. Senecae legitur in praefatione libri quinti controversiarum (p. 318. Bipont.) „Pertinere, inquit, autem ad rem non puto, quomodo L. Magius, gener P. Livii declamaverit, quamvis aliquo tempore suum populum habuit, quum illum homines non in ipsius honorem laudarent, sed in soceri ferrent; quomodo L. Asprenas aut Quintilianus senex declamaverit. Transeo illos, quorum fama cum ipsis extincta est.“ Hunc locum omnino non intellexisse videtur Hummel (l. l. p. 8.) cum dicat: „Quintiliani istius mentionem fecit Seneca ut mortui; „nam transeo, inquit, illos, quorum fama cum ipsis exstincta est.““ Itaque „illos“ refert ad Magium, Asprenatem, Quintilianum. At tum Senecae dicendum erat *hos* nec vero illos. Illi, quorum fama cum ipsis extincta est, alii sunt declamatores obscurissimi: Magius, Asprenas, Quintilianus senex, aliquam certe, si non gloriam, at speciem gloriae adepti fuerant. — Sed ille Quintilianus, M. Seneca scribente controversias suas, sive vigebat etiam sive mortuus erat, hoc certe manifestum est, patrem nostri Quintiliani, qui anno 35 demum natus sit, esse non potuisse: avum autem fuisse vel ideo crediderim, quod ars rhetorica non minus quam ceterae artes ac disciplinae a patre in filium transire solebant. Et videtur mihi quidem Seneca, quum in eodem libro duos Quintilianos commemoraverit, alterum Quintilianum, alterum Quintilianum senem appellans, diserte patrem et filium indicasse. Utrumque autem et avum et patrem Quintiliani nostri non admodum claruisse vel hinc intelligas, quod ipse non omissurus fuisset decus familiae suae celebrare nec vero avum nunquam, patrem semel tantum commemorasset.

Utut tamen illud est, videtur Quintilianus artem orandi quasi hereditate traditam accepisse et ab ipso patre egregie ad eloquentiam formatus et institutus esse, id quod ipse pluribus locis significat, qui iidem multum faciunt ad annum, quibus ipse natus sit, constituendum. Nam primum (Inst. 10. 1. 24.) „Et Pollio, inquit, et Messalla defenderunt eosdem et *nobis pueris* insignes pro Volusseno Catulo, — Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Laelii orationes ferebantur.“ Passienus autem ille orator per fraudem Agrippinae uxoris, quae matrimonium Claudii imperatoris appeteret, periit a. 49. p. Chr. (Cf. Schol. vet. in Juven. Sat. 4. 81. Hummel l. l. p. 7.) Itaque oratio illa a Quintiliano laudata ad summum ferri poterat a. 48, quo anno Quintilianus quum eo jam eruditionis pervenisset, ut hujusmodi orationes cognosceret, anno certe aetatis decimo fuisse videtur, neque vero, id quod ex Dodwellii eorumque consequeretur rationibus, qui a. 42. Quintilianum natum esse putant, poterat a. 48. esse puer sexennis.

Alter, qui ad aetatem Quintiliani pertinet, locus legitur Inst. 8. 3. 31, ubi de fingendis vocibus latinis disserit. „Nam memini, inquit, *juvenis admodum* inter Pomponium ad Senecam etiam praefationibus esse tractatum, an *gradus eliminat* in tragoedia dici oportuisset. „Hoc

1) Bernhardy. Römische Literatur. p. 308.

loco atque ubicunque Senecae nomen apud Quintilianum occurrat, de L. Annaeo Seneca nec vero de Marco patre, qui aut Tiberio imperante aut postea aliquanto mortuus sit,[1]) cogitandum esse, quoniam Quintilianus pro diligentia sua inter M. patrem et L. filium probe distinxisset, recte demonstravit Hummel l. l. p. 8. ac refutavit Zumptium in indice editionis suae locum Quintilianeum ad Marcum Senecam perperam referentem. Quanquam hoc unum fugit Hummelium, quod Quintilianus. Inst. 9. 2. 42: ut et *Seneca,* inquit, ista in controversia, cujus summa est sqq.; ubi *Marcus* tantum Seneca intelligi potest. L. Seneca vero a. 50. post exsilium octenne ab Agrippina in urbem revocatus est, ut praeceptor esset Neronis (Tac. Ann. 12. 8.) Jam quum ante exilium suum Seneca, h. e. ante a. 42. disputationem a Quintiliano memoratam — nam praefatio significat, ut putat Hummel., apud Quintilianum, exordium orationis alicujus habitae publice — habere non potuerit, quoniam se puerulo Quintilianus tum dixisset rectius, admodum juvenis fuisse videtur Quintilianus utique post. a. 50, at ante a. 58, quo anno jam adolescentem sese fuisse ipse testatatur tertio loco (Inst. 6. 1. 14.) „Egregieque *nobis adolescentibus* dixisse accusator Cossutiani Capitonis videbatur, graece quidem, sed in hunc sensum, Erubescis Caesarem timere. Cossutianum caussam repetundarum bis dixisse, auctor est Tacitus. (An. 11. 6. et. 13. 33.) primo a. 47, deinde a. 58. Jam a. 47. Quintilianus quum utique fuerit puer, sive a. 38. sive a. 42. natus est, restat ut adolescens fuerit a. 58. Jam statuit Hummel., admodum juvenem dictum esse eum, qui in confinio versaretur pueritiae atque adolescentiae, quod anno aetatis duodecimo et decimo quinto contineretur, id quod mea quidem sententia vix affirmari potest. Nemo enim juvenis dici poterat nisi qui jam togam sumpserat virilem, quod ante annum aetatis quintum et decimum haud facile factum est. Itaque a. post. 50. quo anno Seneca in urbem rediit, quindecim annos videtur natus fuisse Quintilianus. At ne haec quidem satis recte dixerim ab Hummelio disputata esse. Nam Senecae exilium erat ab a. 42 ad a. 50. Quomodo autem probaveris, inter Pomponium ac Senecam praefationibus esse tractatum aut ante exilium aut post exilium nec vero *inter exilium ipsum?* Nam praefatio non modo est pars orationis habitae publice sed etiam disputatio quaedam libro scripto praemissa, quae consilium scriptoris et summam operis breviter exponit.

Itaque locus de praefationibus inter Senecam et Pomponium habitis nihil conferre videtur ad aetatem Quintiliani constituendam, et constant haec tantum, eum ante a. 48 puerum decem fere annorum et a. 58 fuisse adolescentem. Adolescentem autem viginti fere annos natum fuisse, vel inde apparet, quod togam virilem pueri induere solebant anno aetatis sexto et decimo vel inchoato vel expleto, ut cura paedagogorum exempli jam tanquam viri inter viros versarentur, quo facto pueri nominati sunt adolescentuli. Nam adolescentes quidem pueris omnino diversos atque aetate multo provectiores fuisse, ipse docet Quintilianus, inter adolescentem et adolescentulum accurate distinguens. Nam *pueros,* inquit (Inst. 2. 2. 14.) *adolescentibus* permixtos sedere, non placet mihi. At (5. 7. 7.): Domitio Afro, quem *adolescentulus* senem colui et Inst. 8. 5. 9: Quis enim ferat *puerum aut adolescentulum* aut etiam ignobilem, si judicet in dicendo et quodammodo praecipiat? Equidem errare mihi non videor, si adulescentulos statuerim fuisse inde ab anno aetatis sexto et decimo usque ad vicessimum, anno vicesimo usque ad vicesimum quartum adolescentes, tum appellatos esse juvenes, admodum autem juvenem, idem fere significasse atque adolescentulum. Quodsi eos etiam locos assumseris, quibus Quintilianus indicata aetate sua

---

1) Cf. Westermann. Geschichte der Römischen Beredsamkeit. I. §. 81. n. 36: Niebuhr schliesst aus Suetor. 2. p. 21, dass er Tiber noch überlebt habe.

necessitudinem memorat, quae ipsi cum Domitio Afro intercesserit, clarissimo illius seculi oratore, qui mortuus quidem est anno 80 p. Chr.:[1]) intelliges, hoc anno Quintilianum aetate fuisse paullo provectiorem et majorem utique natu annis viginti et duobus, ut statuit Hummel. Sunt autem illi loci primum in Inst. 10. 1. 24; „Nobis *pueris* insignes pro V. Catulo, Domitio Afro, c.c. orationes ferebantur;" tum Inst. 10. 1. 86: „Utor enim verbis iisdem, quae ex Afro Domitio *juvenis* excepi: qui mihi interoganti, quem Homero crederet maxime accedere, Secundus, inquit, est Virgilius, propior tamen primo quam tertio." Deinde Inst. 5. 7. 7.: „Sufficiebant alioqui libri duo (de testibus) a Domitio Afro in hanc rem compositi: quem *adolescentulus senem* colui: ut non lecta mihi tantum ea, sed pleraque ex ipso sint cognita." Denique Inst. 12. 11. 3.: „Vidi ego longe omnium, quos mihi cognoscere contigit, summum oratorem Domitium Afrum *valde senem*, cotidie aliquid ex ea, quam meruerat, auctoritate perdentem" sqq. —

Itaque reputanti mihi, Quintilianum ante annum 48. jam puerum fuisse ad minimum decem annorum; fuisse *adolescentem a. 58; fuisse juvenem aliquanto ante annum 60:*[2]) rejecta sententi Dodwelli, annum, quo Quintilianus natus sit 42 mum censentis atque ipsius etiam Hummelii, qui annum illum 38 mum fuisse constituit: *Quintilianus videtur natus esse anno 35 p. Chr. n.*

Ceterum sententiam Dodwellianam non primus rejecerat Hummelius sed jam a. 1718. Gedoynus abbas, clarissimus operis Fabiani apud Francogallos interpres, quem Hummelius quidem prorsus ignorasse videtur, in libro suo inscripto: „Quintilien, de l'institution de l'orateur, traduit par M. l'Abbé Gédoyn de l'Académie française (Edition faite d'aprés un exemplaire corrigé par l'auteur Paris 1770.) Préface p. XXVII.: „Nous savons par son propre témoignage, était même en âge d'avoir une sorte de liaison avec se grande homme. — Nous savons aussi, quil composait ses livres de Rhétorique vers le temps, que les philosophes furent chassés de Rome par arrêt du Sénat, ce qui arriva l'an 94. (Ea erat altera philosophorum expulsio, prima jam a 89 fuerat) cf. Hummel. l. l. p. 30.) Nous savons enfin, qu'il etait déjà vieux, lorsqu'il se mit à composer cet ouvrage. *De tout vela on peut raisonnablement inférer, que Quintilien est né sur la fin de Tibère l'an 37 de Notre Seigneur.* De cette sorte on trouvera, qu'il avait vingt deux ans, lorsque Domitius Afer mourut et pres de soixante, lorsqu'il composa ses livres de l'institution de l'orateur; qui est l'âge, où les hommes peuvent regarder leur fin, comme n'étant pas eloignée."

Quintilianus vero quum ex Domitio Afro etiam tum superstite *juvenis* sententiam illam de Virgilio excepisset, anno 60, quo ille mortuus est, major annis duobus et viginti fuisse videtur immo vero viginti quinque, ut a. 35 natus sit.

De patria Quintiliani, ut ad illam jam transeamus idem ille Gedoynus [3]) recte videtur censuisse, Quintilianum si quis legisset, eum jam non dubitaturum, quin natione fuerit Romanus: adeo excellere Quintilianum scientia linguae, legum atque institutorum Romanorum, adeo indolem prae se ferre vere Romanam. Ipse quidem Fabius de origine sua nihil fere tradidit, nisi quod manifesto declaravit, se Romae educatum et institutum esse literis.

At vero certissimi auctores diserte testantur, natum esse Quintilianum *Calagurri*, urbe Hispaniae, inter illos primus Ausonius (309 — 392 p. Chr.) qui in commemoratione professorum

---

1) Tac. Ann. 14. 19.

2) Egregie erravit Meier. Oratorum Romanor, fragm. p. 363, statuens Quintilianum XVII. annos natum fuisse cum e vita decideret Domitianus (l. l. p. 20.)

3) In l. l. Préface.

Burdigalensium, postquam Minervium oratorem alterum togae rhetoricae Quintilianum appellavit, sic pergit vs. 7:

„Adserat usque licet Fabium *Calagurris alumnum*
Non sit Burdigalae dum cathedra inferior."

Quo loco asserat legendum est nec vero cum Hummelio afferat, quae lectio magnopere languere mihi videtur atque eo secius quadrare, quod Ausonius dicturus erat: sibi vindicet Calagurris Quintilianum, qui indole ipsius ac natura vere Romanus habebatur.

Audiendus deinde St. Hieronymus, (330—420 p. Chr.) Chronici Eusebiani [1]) interpres latinus, auctor hoc gravior, quod in praefatione operis sui ipse profitetur, in rebus Romanis auxisse se opus quod verteret, usum etiam Suetonii libris de claris oratoribus, ex quorum indice, quum librorum ipsorum nonnisi paucula fragmenta ad nos peruenerint, apparet, et ipsius vitam Quintiliani scriptam fuisse in isto opere a Tranquillo. cf. Spalding in editione Quintiliani praef. p. XXXXI. Hieronymus, inquam, in chronico Eusebiano ad Ol. 216. 4. (a. 88. p. Chr.) „Quintilianus, inquit, *ex Hispania Calagurritanus* primus Romae publicam scholam aperuit, et salarium a fisco accepit et claruit." Atque idem Hieronymus in libro contra Vigilantium scripto: „Iste caupo, inquit, Calagurritanus, et in perversum propter nomen viculi mutus Quintilianus miscet aquam vino;" quo loco etsi vox *viculi* paullo facetius dictum est, tamen significare videtur, urbem Calagurrim frequentia et eruditione civium parum floruisse.

Hieronymum dubito utrum secutus sit Aurel. Cassiodorus et ipse in chronico suo affirmans, Quintilianum ex Hispania oriundum esse, et Silvano quidem et Orisco consulibus, quoniam a. 88. ab Hieronymo notato non illos consules invenio. Aliter Hummel. l. l. p. 11.

Haec de origine Quintiliani testimonia neutiquam labefactare potest sententia scriptoris anonymi, sive is, quae est opinio Nic. Antonii, Omnibonus Leon Vicenus Vicentinus fuit, illustrator Quintiliani circa annum 1474, sive Laurentius Valla, ille anonymus, inquam, scribit (in praefatione Gesneriana) „Verissima conjectura adducor, ut fidem libris temporum non habeam, ubi legitur Quintilianus ex Calagurri, urbe Hispaniae oriundus." Immo Fabium Romae natum esse affirmat, quam opinionem confirmare conatur testimonio Martialis. Is enim, inquit, ipse Calagurritani agri alumnus, quum Hiberos memoria dignos, epigrammatis suis inserat, nullam de Quintiliano mentionem facit, sed eum separatim cum veneratione nominat:

„Quintiliane vagae moderator summe juventae,
Gloria Romanae Quintiliane togae."

Martial. Epigram. 2. 90. — Quem tamen bene refutavit Hummel., exponens l. l. p. 12, non hoc propositum fuisse Martiali, ut omnium scriptorum ex Hispania oriundorum laudes efferret, sed paucorum tantum et Liciniani suique ipsius: praeterea Quintilianum ne scribendo quidem laudes sibi paravisse eo tempore, quo Martialis epigramma istud scripsisset, sed orando et docendo.

At vero quaeritur, quomodo cum testimoniis illis Ausonii, Hieronymi Cassiodori sane gravissimis concilietur locus, qui ad originem Quintiliani cognoscendam valet plurimum, quem prorsus ignoravit Hummel., sed jam protulit Gedoynus l. l. Préface. XXXVI. Nam Quintilianus ipse, ubi agit de verbis quibusdam peregrinis in sermonem latinum receptis (Inst. 1. 5. 57.) „Et *Gurdos*, [2]) inquit, quos pro stolidis accipit vulgus ex Hispania duxisse originem *audivi*."

1) Florebat Eusebius, episcopus Caesariensis a. 264 — 340 p. Chr.
2) Comparat Spalding vocem Franco gallicam: engourdi.

Ergo Quintilianus linguam suam patriam aut ignorabat aut oblitus erat, atque est, quod accedamus et Anonymo illi supra memorato et ipsi Gedoyno, rejicienti utrique testimonia Hieronymi et Ausonii? Nam Gedoynus quidem l. l. Cependant au raport de S. Jérême Quintilien non seulement était Espagnol, mais il fut amené à Rom par Galba l'an de Notre Seigneur 89, *ce qui est visiblement faux. sqq.* — An vero Quintilianus linguam vernaculam ignorare se dedita opera affectabat, ut civis vere Romanus haberetur? At id moribus Quintiliani, candidis illis et innocentibus, neutiquam convenit. Itaque res aliter sese habere videtur. Natus quidem fuerat Quintilianus Calagurri, sed admodum puer a patre Romam traductus est. Nam Romae educatum et eruditum esse literis, omnes mihi probare videntur loci, quos affert ipse de institutione sua puerili. Nam primum Inst. 1. 2. 23., qui locus ad rem scholasticam apud Romanos cognoscendam haud exigui est momenti, Non inutilem, scio, inquit, servatum esse *a praeceptoribus meis* morem, qui, quum pueros in classes distribuerent, ordinem dicendi secundum vires ingenii dabant; et ita superiore loco quisque declamabat, ut praecedere profectu videbatur. Hujus rei judicia praebebantur: ea nobis ingens palmae contentio: ducere vero classem, multo pulcherrimum. Nec de hoc semel decretum erat: tricesimus dies reddebat victo certaminis potestatem." Alius de praeceptoribus ejus locus legitur. 2. 4. 46: „Solebant praeceptores mei neque inutili et nobis etiam jucundo genere exercitationis praeparare nos conjecturalibus causis, quum quaerere atque exequi juberent, cur armata apud Lacedaemonios Venus et quid ita crederetur Cupido puer ac volucer et sagittis ac face armatus, et similia, in quibus scrutabamur *voluntatem*, cujus in controversiis frequens quaestio est. Haec verba non ad scholam nescio quam Calagurritanam ac provincialem rettuleris sed ad majorem aliquam Romanam eamque optime institutam et directam. Quodsi Quintilianus Inst. 10. 1. 24., quem locum identidem jam memoravimus, se puero ait insignes pro Voluseno Catulo Domitii Afri, Crispi Passieni, Decimi Laelii orationes *latas esse:* apertum est, puerum eum Romae vixisse, quoniam orationes illae nisi in urbe haud facile studia hominum exercebant. Neque enim quisquam credet Hummelio, statuenti illi p. 13. Quintilianum anno demum 49. p. Chr. quum ex illius rationibus annum aetatis ageret decimum, Romam migrasse atque actionem illam Passieni per famam modo cognovisse, sive per acta publica, quae res in urbe gestas celeriter in provincias promulgassent, sive per librarias vel juvenos amicos (puerum scilicet decem annos natum)! Nam tradebant quidem, ut ait Tacitus Dialogus de or 20; invicem ac saepe in colonias ac provincias *suas* scribeant sive in *suis* aliquis arguta et brevi sententia affulsit, sive *locus* exquisito et poetico cultu enituit, neque vero *orationes* protinus *ipsae* in provinciis facile *ferebantur* et legebantur.

Quod vero Quintilianus praeceptores suos non indicaverit nominatim, inde non cum Hummelio colligas, (p. 14.) illos homines provinciales parumque notos fuisse et ipsum igitur pueritiam degisse Calagurri. Nam eodem jure mireris, eum hos ipsos Calagurritanos praeceptores non nominasse. Sed erant illi quidem boni ac strenui magistri nec tamen ei digni videbantur, quos in numero poetarum atque oratorum clarissimorum nominaret. Ceterum quod dicit Scholiast ad Juvenalis Satiras 6. 452, inter praeceptores Quintiliani fuisse Palaemonem Grammaticum, haud credi potest, quod pater Quintiliani filium non facile tradidisset instituendum viro moribus corruptissimis, adeo ut Tiberius et mox Claudius palam praedicaret, nemini minus institutionem puerorum vel juvenum committendam esse. cf. Sueton de illustr. Gramm. c. 23. Atque ipse Quintilianus Inst. 1. 4. 20., nihil de eo nisi: et aetate nostra Palaemon; unde apparet, aequalem fere, non vero magistrum fuisse Quintiliani.

Itaque ut ad patriam Quintiliani redeam, accedere non dubito Tiraboschio Storia della

letteratura Italiana P. II. l. I. c. III. X. „Queste son le ragioni, che a sostenere i lor diversi pareri da diverse parte si arrecano. Non potrebbonsi esse per avventura conciliare insieme, dicendo che la famiglia de' Quintiliani era oriond dia Spagna, ma che il padre o forse anche *l'avolo* del nostro scrittore transportolla a Roma?

Videtur autem cum ab optimis praeceptoribus institutus esse tum ipso patre usus esse duce et magistro eloquentiae ac paterno exemplo commotus summo studio eloquentiae dedisse operam. Jam in puero egregiam enituisse indolem eloquentiae, vel inde intelligas, quod tenera illa aetate jam orationes clarissimas, quae tummaxime ferrentur, cognoscere coeperit. Deinde adolescens factus, quum illustrissimos, qui tum florerent, oratores intueretur, tum studiossime colebat Domitium Afrum, quem omnium quos cognoscere sibi contigisset, summum oratorem eundemque principem fori quondam fuisse ipse testatur Inst. 12. 11. 13.[1]) Neque tamen videtur in verba magistri illius quamvis gravissimi jurasse sed suum sibi judicium servasse integrum. „Neque enim me cujusquam sectae velut quadam superstitio imbutus addixi," ipse de se profitetur III. 1. 22. Nam eodem loco usus exemplo Domitii, quem valde senem cotidie aliquid ex ea, quam meruerat, auctoritate, perdentem ipse viderit: cum agente illo alii, quod indignum videretur, riderent, alii erubescerent, quae occasio fuerit dicendi: *malle eum deficere* quam *desinere*: diserte monet, orator, antequam in aetatis veniat insidias, receptui ut canat et in portum integra nave perveniat. Acrius etiam de Domitiano judicium legitur apud Tacitum (Ann. 4. 52.) eum (recentem tum praetura) modicum fuisse dignationis, et quoquo facinore properum clarescere. Damnatis Pulchra et Furnio, Afrum *primoribus oratorum* additum esse. Mox capessendis accussationibus ant reos tutando *prosperiore eloquentiae quam morum fama*[2]) fuisse, nisi quod *aetas extrema* multum etiam eloquentiae dempsisset, *dum fessa mente retineret silentii impatientiam.*

Atque hoc ipsum, ut opinor, erat, quod Quintilianus, quem adolescentulus senem coluisset, ab ejus consuetudine *valde* senis *paullulum* recederet atque ipsius etiam mortis a. 60 factae mentionem faceret nullam. Nam morti ejus Quintilianum interfuisse vel inde sequitur quod inter *valde senem*, quem etiam tum viderat, atque mortuum paullulum tantum temporis intercedere poterat. Aliter Hummel, p. 20. Itaque etsi Quintilianus non totum videtur Domitio Afro se dedisse, tamen multa erant, quae ab illo discere posset. Nam arte ille et toto genere dicendi praeferendus erat ipso Julio Africano, aemulo ipsius clarissimo, adeo ut eum *in numero veterum* habere non timeres unde etiam in eo *maturitas* potissimum laudatur Inst. 12. 10. 11. et graviter et lente eum dixisse auctor est Plinius. Epp. 2. 4. Quintil. Inst. 10. 1. 118. Itaque inter omnes illius seculi oratores nemo est, a quo Quintilianus plura petiverit exempla, cujus dicta attulerit saepius, cujus dictionem observaverit diligentius. Erat autem Domitius non summus modo orator et in republica administranda egregie versatus,[3]) sed libros etiam ipse composuit, velut de testibus, quos alioquin in hanc rem suffecisse ac verissima praecepta exhibuisse confitetur Quintilianus. Inst. 5. 7. 7. Praeterea dictorum quoque ipsius editi sunt libri. Atque erat sane in genere facetiarum mire venustus, ut non dicta modo, sed etiam complures hujusmodi narrationes orationibus ejus insertae reperiantur. Quint. Inst. 6. 3. 42. Clarum est

---

1) De studio, quo coluerit Domitium, cf. Plin. Ep. 2. 14. 10: „Ita certe ex praeceptore meo, Quintiliano, audisse memini. Narrabat ille: *Adsectabar Domitium Afrum*, quum apud centumviros diceret *graviter et lente* hoc enim illi actionis genus erat, sqq.

2) Sic legendum nec vero forma.

3) Praetor a. u. 778 (25. p. Chr.) Consul suffectus a. 792. (39.) cf. Meyer Oratorum Romanorum fragmenta, p. 563.

ejus judicium de Virgilio: Secundus post Homerum est Virgilius, propior tamen primo quam tertio. Inst. 10. 1. 86. Pulchra est sententia ejus, non ex ratione quidem ἐκ τῶν πρός ἄλληλα dicta sed efficiens idem: „Ego accusavi, vos damnastis.“ (Inst. 5. 10. 79.) Tum venuste Mallium Suram, multum in agendo discursantem et gerentem se ineptissime, *Non agere dixit sed satagere.* C.f. 11. 3. 126. Urbaneque Flavus Verginius interrogavit de quodam suo antisophiste: „*Quot milia passuum declamasset.*“ (Inst. 6. 3. 54.) Urbane usus est Afer ironia, cum Didio Gallo, qui provinciam ambitiosissime petierat, deinde impetrata ea, tanquam coactus, querebatur „*Age* inquit aliquid et rei publicae causa *elabora*“ (cui voci egregie et patiendi et *agendi* sententia subjecta est. Inst. 6. 3. 68.) Deinde in eo genere facetiarum, quod est ad decipiendam opinionem comparatum et inopinatum et a lacessente poni solet, venustissimum est illud Afri; „Homo in agendis causis optime — *vestitus.*“ (6 3. 84.) atque ejusdem interrogatio de Celsina, femina potentissima: Quis est *iste.*“ (6. 3. 85.) Et optima erat Domitii Afri simulatio adversus simulantem. Nam quum ipse vetus haberet testamentum, octavo et decimo anno ante mortem ipsius nuncupatum (Plin. Epist. 8. 18. 5.) et unus ex amicis recentioribus, sperans aliquid ex mutatione tabularum, falsam fabulam intulisset, consulens eum an seni primipilari, quorum scilict hereditates expeti solebant magnopere, jam testato rursus suaderet ordinare suprema judicia: Noli, inquit, facere: offendis *illum.* (6. 3. 92.) Cf. Quintil. 6 3. 81. Afer, quum ageret contra libertum Claudii Caesaris et ex diverso quidam exclamasset: Praetera tu semper in libertos Caesaris dicis: Nec mehercule, inquit, quidquam proficio. cf. 6. 3. 32. — Lenius et, ut Quintilianus dicit, boni stomachi, ut omnino *leni* facitiarum genere excellebat Domitius (Inst. 6. 4. 27.) illud est, quod idem in grato litigatori conspectum ejus in foro vitanti, per nomenclatorem missum ad eum, *Amas me,* inquit, *quod te non vidi?* — Extat etiam sententia ejus gravissima: „*Princeps, qui vult omnia scire, necesse habet multa ignoscere.*“ (8. 5. 3.) Cf. etiam Plin. ep. 2. 14. Quum diceret Domitius apud centumviros, audiit ex proximo immodicum insolitumque clamorem: admiratus reticuit: ubi silentium factum est, repetiit quod abruperat: iterum clamor: iterum reticuit: et post silentium coepit idem tertio. Novissime, quis diceret, quaesivit: responsum est Licinius (qui primus morem induxerat auditores per mancipem conducendi et redimendi, Σοφοκλεῖσ illos s. laudicenos) Tum intermissa causa, *Centumviri,* inquit, *hoc artificium periit.* Juvat denique Domitii Afri virtutem quandam compositionis commemorare, quam eorum, qui nostra aetate latine scribunt, viri principes imitati sunt felicissime. Solebat enim Afer trajicere in *clausulas* verba tantum asperandae compositionis gratia et maxime in prooemiis, ut pro Domitilla. Gratias agam *continuo.* Et pro Laelia, Eis utrisque apud te judicem periclitatur *Laelia.* Adeo confugit teneram delicatamque modulandi voluptatem ut currentibus per se numeris quod eos inhiberet objiceret. Inst. 10. 4. 31.

Quintilianus autem, etsi Domitium Afrum eum sibi oratorem elegerat, quem potissimum sequeretur, quem imitaretur, tamen et ceteros ejusdem aetatis oratores et patronos et in causis et in judiciis cognovisse videtur, inprimis Julium Africanum, concitatiorem quidem illum ipso Domitio sed in cura verborum nimium et compositione nonnunquam longiorem et translationibus parum modicum. (Inst. 10. 1. 118.) Laudavit *vires* ipsius. Quint. 12. 10. 11. Neque vero in numerum eorum, quae sibi exempla proposuerat juvenis, cum Hummelio l. l. p. 15. rettuleris Crispum Vibium, M Galeolum Prachalum, Julium Secundum. Nam hos quidem post Domitium Afrum et Julium Africanum, eorum quos viderit longe praestantissimos, ita memorat, ut dicat: „Erant clara *et nuper* ingenia“ unde apparet, Vibium, Prachalum Secundum Quintiliano aut aequales aut *suppares* fuisse nec vero eos, quos seniores ipsi ipse juvenis coleret. *Servilius* autem

Nonianus, diu foro, mox tradendis rebus Romanis celebris et elegantia vitae excellens, elati vir ingenii et sententiis creber, sed minus pressus, quam historiae auctoritas postularet: quoniam mortuus est eodem anno, quo Domitius Afer, cui ut par ingenio ita morum diversus erat: a Quintiliano auditus est adolescente ac videtur inter eos, quos sectaretur, praecipuum locum obtinuisse. Quintil. Inst. 10. 1. 102. cf. Tacitus Ann. 14-19. Plin. Ep. 1. 14. Cognovisse se et Junium Bassum nec vero probasse ipse Quintilianus docet Inst. 6. 3. 27.: Id porro quod dicitur aut est lascivum et hilare aut *contumeliosum*, qualia *nuper Junii Bassi* sqq. — Ceterum de suae aetatis oratoribus ipse Inst. 12. 10. 11.: In iis etiam, inquit, quos ipsi vidimus copiam *Senecae*, vires *Africani*, maturitatem *Afri*, jucunditatem *Crispi*, sonum *Trachali*, elegantiam *Secundi* reperiemus. Ac L. quidem Annaeum *Senecam*, etsi ipsum longe aetate superabat, ut qui natus sit paullo post Christum natum a. 7. p. Chr. Meyer. l. l. 578. [1]) obierit autem a. 65. p. Chr.; tamen neutiquam videtur Quintilianus sectatus esse juvenis. Id quidem certo conjici potest ex judicio, acri quidem illo ac severo, sed vero et aequo, quod ipse de Seneca pronunciavit Inst. 10. 1. 125 — 131. Quodsi, quanquam falso, opinio exierat de Quintiliano, ipsum damnare et invisum quoque habere Senecam: si ipse, aetate jam provectus et judicio aequus et modestus, corruptum illius et omnibus vitiis fractum dicendi genus reprehendit, quod quidem ad severiora judicia revocare contenderet, si in eloquendo dicit corrupta pleraque fuisse atque eo perniciosissima, quod dulcibus abundarent vitiis: juvenis et maturitatis antiquae studiosissimus facile aversatus est eum, qui rerum pondera minutissimis sententiis frangeret et puerorum potius amore quam consensu eruditorum comprobaretur.

At studiorum cursu peracto, quem vitae cursum tenuerit Quintilianus, verbis non traditur disertis. Unum superest testimonium Hieronymi, qui in Chronico Eusebiano ad Ol. 122. 4. (69. p. Chr.) haec adnotavit: „*M. Fabius Quintilianus Romam a Galba perducitur.*“ [2]) Huic loco ea solummodo sententia subesse potest, Quintilianum, quum in Hispania versaretur et in notitiam venisset Galbae, commotum esse ab illo, ut sedem ac domicilium suum inde Romam collocaret. Nam si statueres cum Dodwellio Annal. Quintilianei 5, 9. Galbam, quum Hispaniam provinciam administraturus a. 61, (quando auctoribus Suetonio (Galba. 9.) et Plutarcho (Galba. 4.) per octo annos illi provinciae praefuit), eo decederet, comitem accepisse Quintilianum, [3]) Hieronymo dicendum erat: Romam *re*ducitur. Quum autem dixerit: *per*ducitur, hoc significavit, jam antea quidem versatum esse Quintilianum in urbe, tum vero commotum esse a Galba, ut in perpetuum Romam domicilium suum conferret. Ergo Quintilianus antea discesserat ex urbe. Quando vero reliquit urbem et quibus commotus causis? —

Vidimus Quintilianum et actioni Cossutianae interfuisse a 58, et ipsi morti Domiti Afri, quae secuta est a. 60. De morte Domitii negavit quidem Hummel. l. l. p. 20, quia ne verbo quidem eam tetigisset Quintilianus: „id putasne virum potuisse, inquit Hummel, quo nullus unquam fuit animo gratiore, si quidem oculis suis eam vidisset, praesertim quum occasio idonea

1) Est idem ille, quem Persius poeta ut patrem coluit. cf. Sueton. in vita Persii.

2) Ceterum hunc Quintiliani in urbem reditum, si non in rem publicam Romanam, at in literas saltem augendas et ipsam eloquentiam, ex judicio Hieronymi summi fuisse momenti, vel intellexeris ex ratione et connexione, qua ille hoc narravit. Nam inter adnotationes ad Ol. 211. a. 70, p. Chr. primum: Post Neronem, inquit, Galba in Hiberia, Vitellius in Germania, Otho Romae imperium arripuerunt; tum Quintilianus Romam a Galba perducitur; deinde Galba septimo mense imperii sui in medio Romanae urbis foro, capite truncatur.

3) Interpretem illum quidem in Hispania, Quintilianum scilicet, qui ipse linguae Hispanicae ignarus erat! — Egregia haec conjectura est J. M. Gessneri. praef. ad Quintil.

frequenter sit oblata, illo maxime loco, quo de summa ejus senectute sermo est?" Ego vero nihil omnino fuisse invenio, quod Quintilianus de morte Domitii disputaret, praesertim quum ille mortuus sit foedissime. Nam audias Hieronymum, ad Chronicon Eusebii A. Mundi MMLX. a. IV. imp. Claudii 45. p. Chr.: „Domitius Afer Nemausensis clarus orator habetur, qui postea Nerone regnante *ex cibi redundantia in coena moritur.*" Istiusmodi videlicet mortem Quintilianus nec potuit celebrare nec celebravit: Romae autem eo tempore ipsum vixisse, inde colligo, quod inter Domitium *valde senem*, quem etiam viderit, atque eundem mortuum exiguum tantum temporis poterat interesse. Igitur post annum demum 60. Quintilianus discessisse videtur ex urbe. Scilicet ei intermortui erant duo patroni amplissimi, quando eodem anno quo Domitius Afer et ipse obiit Servilius Nonianus; Seneca autem, qui tunc apud principem et apud populem valebat plurimum, Fabio videtur fuisse infestus, ut qui studiis inertibus et juvenum imperitiae suetus, *liveret his, qui vividam et incorruptam eloquentiam tuendis civibus exercerent.* Hoc quidem exprobrat Senecae apud Tacitum Ann. 13. 42. P. Suilius, imperitante Claudio terribilis ille quidem et venalis, tamen praeter ferociam animi extrema senecta liber. Quintilianum vero non fuisse inter juvenes illos, imperitos, qui caeco amore Senecam sectarentur, sed suum sibi judicium servasse incorruptum, jam supra demonstravimus.

Verum ne illud quidem fugisse videtur Quintilianum juvenem, quum ex urbe, sede illa quidem ac domicilio studiorum ac bonarum artium discederet, raro in ea urbe quenquam proficere, ubi natus esset et educatus, quoniam non deessent, qui ipsi aliquam gloriolam utcunque adepti, si quid vel leviter errasses, castigarent acerrime, si quid praeclare edidisses, utique ignorarent, et efflorescentem ingeniorum segetem reprimerent potius quam mitigarent et maturarent.

Itaque Quintilianus, quoniam, ut ajunt, propheta nihil valet in patria, urbem, in qua se quidquam profecturum esse desperaret, quanquam invitus, reliquit et in eam se contulit provinciam, in qua studia literarum maxime florerent, et ipse natus esset, in Hispaniam, ubi Calagurri potissimum, patria sua, videtur commoratus esse atque, id quod ex loco Ausoniano, supra laudato, conjecimus, orandi artem cum exercuisse tum docuisse. Erat autem Calagurris illa non Fibularensis, nunc Loharra. Vid. Forcellini Lex. (Plin. H. N. 3. 3.) haerens scopulis (Ep. 25. 27.) quae montes Pyrenaeos attigisse videbatur, sed Calagurris Nassica, quae ad Iberum sita nomine *Calaborrae* hodie etiam extat. Quae urbs quum sita esset in Hispania citeriore s. Tarraconensi, facile contingere poterat, ut Ser. Galba, quum inde ab anno 61. usque ad. a. 68. provinciae illi pracesset in agendis conventibus, quanquam ipsi ingenium medium erat, (Tac. Hist. 4. 49.) Quintiliani tamen praeclaram indolem et eloquentiam cognosceret eumque commoveret, ut in urbem ipsum, imperatorem, comitaretur. Quod Fabio vel hoc erat exoptatius quod Seneca, ipsi inimicus, jam a. 65. misere vita excesserat et ipsi jam ipsius principis auspiciis egregius aperiretur campus, quo vires ingenii ostenderet et comprobaret. At Romae res gestae sunt turbulente atque atrociter, quae studia literarum haud sane foverent: nam Galbae Otho, Othoni successit Vitellius, rapida et haud incruenta rerum mutatione, donec Vespasianus, rerum potitus, cum immenso imperio pacem restituisset, tum literis et artibus egregie consuluit, ut qui anno 74. p. Chr. philosophis quidem Stoicis et Cynicis Roma pulsis, tamen primus e fisco Latinis Graecisque rhetoribus *annua centena* constituerit. Sueton. Galba. 18. Inter hos rhetores Quintilianum fuisse vel nemo est qui negaverit. Quin etiam mihi, legenti apud Hieronymum ad Eusebii Chron. Olymp. 216. 4. Domitiani 8. Christi 89. (Meyer l. l. 559.) „Quintilianus ex Hispania Calagurritanus *primus* Romae *publicam Scholam*, et salarium e fisco accepit et

claruit"[1]) eidemque consideranti, Quintilianum jam tunc inter magistros eloquentiae praecipuum tenuisse locum nec facile sine spe honoris ac praemiorum a Galba Romam deductum esse: ipse Fabius primus videtur fuisse, in quem beneficium illud centenorum conferretur, *primus professor eloquentiae publice constitutus*, id quod ipse Hieronymus diserte significavit, quum diceret: Quintilianus *primus* Romae publicam scholam accepit.

Nam primum omnium facile concedes, Vespasianum, qui otiosos philosophos Stoicos et Cynicos ex urbe relegaret, qui, omnium rerum parcissimus, eos tantum sumtus faceret, qui reipublicae, oppressae illi tunc aere alieno,[2]) utique essent necessarii: rhetoribus latinis graecisque non ideo stipendium centenorum eorumque *annuorum* constituisse, ut sola praesentia sua urbem condecorarent, sed ut solida ac salutifera doctrina, non speciosa illa quidem atque inani suis prodessent civibus ac scholas haberent publicas. Ergo quos Suetonius commemorat Latini Graecique rhetores, ac princeps inter eos Quintilianus cum centenis annuis munus susceperunt docendi publice.

Jam vero agamus de ipso loco Hieronymi, multum illo quidem ab interpretibus vexato. Adnotatio Hieronymi ad annum Dni. 89. in ea editione, quae cura Thomae Roncallii M. Cas. Patavii 1787. prodiit, sic scripta est: „Quinctilianus ex Hispania Calagurritanus, qui primus Romae publicam scholam et salarium e fisco accepit, claruit." Est autem adnotatum, M. S. Ravennatem habere: publicata schola et salarium e fisco accepit et claruit, et hanc periocham habere anno 87. Igitur equidem ita legendum esse statuam: Quintilianus, qui primus Romae *publicata schola* salarium e fisco accepit, claruit. Nam primum quidem anno 69. quo anno Romam venerat, Quintilianus videtur aperuisse scholam privatam, quae quum frequentia auditorum et gloria praeceptoris floreret, ab imperatore Vespasiano publica constituta sive *publicata* est, ita ut ipsi Quintiliano centena annua publice concederentur, scilicet praeter stipendia, quae privatim soluta sunt ab auditoribus.[3])

Utramcunque vero lectionem acceperis, hoc vides, Hieronymum, quum dixerit: *Qui-accepit*, hanc enuntiationem relativam non referre ad annum 89, in quem sola pertinet enuntiatio: Quintilianus *claruit*: sed ad annum aliquem superiorem, quumque ad annum 74. non annotavisset, Vespasianum rhetoribus Graecis latinisque ac principi eorum Quintiliano, centena annua constituisse, rem illam in statum literarum sane gravissimam, supplere voluisse in annotatione ad a. 89. scripta. Verum in interpretatione vocis *claruit* et ipse Dodwellius hoc nomine videtur mihi reprehendendus esse quod repetiverit altius nec Hieronymum explicaverit ex Hieronymo. Nam Dodwellus putat, verba „Quintilianus claruit" idem significare, atque illud, quod in constitutione codicis Thedosiani l. 12. tit. 15, infra nobis commemoranda, dictum est: honoratus et his, qui sunt ex vicaria dignitate, (hoc est viris nobilissimis) connumeratus est. Atqui idem Hieronymus de Asconio Pediano, qui auctore Madvigio[4]) paullo ante annum primum Christi natus est, ad annum 77. ipse annotat haec: Q. Asconius Pedianus scriptor historicus *clarus habetur* qui 73mo aetatis suae anno captus luminibus, duodecim post annis in summo omnium honore consenescit." At ego ex hoc Hieronymi loco colligere posse mihi videor a. 4. p. Chr. natum esse Asconium,

1) Dodwellus Annal. Quintil. §. 12 legit: „Quintilianus, *qui* primus Romae publicam scholam *aperuit* et salarium a fisco accepit, claruit.

2) Summa aerarii fiscique inopia, de qua testificatus est inito statim principatu: professus, *quadringenties millies* opus esse, ut respublica stare posset. Sueton. Vesp. 16.

3) Lectio autem: scholam *aperuit* mera est conjectura Dodwelli,

4) Cf. Madvig. Asconii Pediani et aliorum vett. interpr. in Ciceronis oratt. commentariis. Disp. crit. Havn. 1828,

quoniam hoc ipso anno claruisse videtur, quo oculorum acie privatus est. Utut vero hoc est, intelligis id *clarus habetur* idem fere esse quod claruit, nisi quod claruit significat: clarus haberi *coëpit*. Idem vero animadvertis, Hieronymum dicere, Asconium Pedianum, exacta demum aetate, quum de studiis literarum jam optime meruisset, clarum habitum esse. Atque idem de Plinio minori ad a. 111., quo anno ille mortuus videtur: Plinius Secundus Novocomensis, inquit, orator et historicus insignis habetur,[1]) cujus plurima ingenii opera extant. Itaque non est quod cum Hummelio perridiculum (p. 25) esse censeas, claruisse aliquem eo tempore, quo officium suum abdicaverit, quamquam docendi munere non se abdicaverat, sed honestissime solutus est. Immo vero tum demum, viginti annis, summo cum studio et fructu in juvenes erudiendos consumptis, quum animum appelleret ad scribendum de iis rebus, quas antea schola ac disciplina egregie pertractasset: tum clarus haberi coeptus est. Recte igitur Dodwellus vocem claruit ad *rem gestam* aliquam insignem, quae quasi vitae quaedam epocha habenda fuerit, referendam esse censuit, quam epocham tamen non magis abdicatas a Quintiliano scholas rhetoricas, quam honestissimam professionis publicae missionem dixerim. Significatio vero ex jure civili desumpta neutiquam voci *claruit* subest, quoniam nec clarissimatum, ut jurisconsulti ajunt, sive senatoriam dignitatem obtinere dicitur clarescere nec facile Quintilianus anno 89. dignitatem illam accepisse videtur, quanquam ipsum postea, ornamentis in eum collatis consularibus, inter viros clarissimos habitum esse haud negaverim.

